



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Matthaeo Cenetensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

pius imminere, alia sit Ecclesia necessaria construenda. Cum itaque damnis rerum temporalium sint animarum pericula preferenda, fraternitati tuæ, de qua indubitam fiduciam obtinemus, committimus, qualiter sit super his quæ præmissimus procedendum: ut si utilitati fidelium noveris expedire, Deum habens præ oculis, sine contradictione cuiuslibet novam valeas Ecclesiam fabricare, provifurus attentius, ut concessa tibi non abutaris licentia, ne fortè privilegium merearis amittere, si permissa tibi abusus fueris potestate. Datum Laterani IV. Nonas Martij.

MATTHÆO CENETENSI  
Episcopo.

**Q**Væ in Ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum præiudicium attentantur, firmitatem fortiri non decet, sed ad Ecclesiarum indemitatem debent potius infirmari. Sanè pervenit ad audientiam nostram quòd Tervisin. & Coneglanen. constituendi \* sibi, & utinam sibi tantum, jurisdictionem temerè usurpantes, impietatem palliant sub nomine pietatis, & dum quibusdam ex alieno gratiam exhibere nituntur, Ecclesiis sunt & viris ecclesiasticis onerosi. Constituerunt siquidem, sicut accepimus, quòd si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegaverit, alienandi feudum quod ab Ecclesia vel aliis tenet, per officiales ad hoc à Tervisinis civibus & Coneglanen. deputatos liberam habeant facultatem, nec emptor priori teneatur domino respondere, nisi tantummodo in sexta parte pretij, quam ipsi, si recipere voluerit, exhibebit. ex quo ecclesiastica non modicum jura læduntur. Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, & hujusmodi gravaminibus providere, constitutionem hujusmodi & venditiones feudorum ecclesiasticorum factas sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, occasione constitutionis immo veriùs destructionis vel destructionis istius, præsentium auctoritate cassamus, & vires decernimus non habere. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ cassationis &c. Datum Laterani X. Kalend. Aprilis.

AQVILEGIEN. PATRIARCHÆ,  
& Episcopo Ferrarien.

**V**Tilitas & necessitas dispensationem inducunt, & repentini casus, etsi non nova, non tamen usitata remedia nos excogitare compellunt. Sanè cum apostolica sedes super universis Ecclesiis non humani sed divini muneris largitate magisterium susceperit & primatum, & nobis licet immeritis ad ipsius regimen evocatis, super cunctis fidelibus sollicitudo sit credita pastoralis, sic ad eorum statum nos decet aciem apostolicæ provisionis extendere, ut & obviamus violentiæ iniquorum, & eorum necessitatibus consulamus. Accepimus siquidem, venerabili fratre nostro Cenetensi Episcopo intimante, quòd Ecclesia Ceneten. & villa in planitie sunt fundatæ: quas, propter loci debilitatem & raritatem inhabitantium, ab iniquorum incurfibus tueri non potest, immo usque adeo incurfui expositæ sunt hostili, ut nuper villa eadem à Tervisinis destructa fuerit, & Ecclesia cathedralis cum aliis duabus combusta, altaria diruta & dejecta, nec licuit relinqui reliquias in solo, altaribus desolatis, nec meruerunt esse Tervisinorum reliquiæ reliquiæ martyrum & sanctorum. Ut igitur uno & eodem remedio & malignis malignandi tollamus materiam, & eidem Ecclesiæ in necessitatibus consulamus, cum idem Episcopus Ecclesiam ipsam vel ad castrum Ceneclan. quod populosum dicitur & munitum, vel ad aliam partem ejusdem villæ tutiorem de licentia nostra transferre disponat, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus accedentes ad locum, in castro prædicto, vel in eadem villa Cenate in loco magis munito, prout utilitati ejusdem Ecclesiæ magis videritis expedire, auctoritate nostra suffulti, cum id vobis ex vestra non liceat, transferendi sedem & fundandi eandem Ecclesiam Episcopo memorato, sublato appellationis obstaculo, concedatis liberam facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Aprilis, Pont. nostri anno II.

Epist. 8.  
Vt curam & instaurationem Cenetensis Ecclesiæ auctoritate apostolica suscipiant.

\*f. aliorum

339

339

V u ij